

CANCELL.
MARTISB.
1718.

00 Ta

~~XXVIII . 9 . a~~

L. L. C. 70. 59

28. April 15

EGOTRIUM Quidam
UTM
ETATI INTER
PONENDA APTE
LAIONIS
TOMO DEDICATA
ADAM NO
NOMINA

22

Disputatio Inauguralis
DE
ARBITRIO
JUDICIS,

QVAM,
Annuente Summo Numine,
EX AUTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI
JCTORUM ORDINIS,
IN ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
Ad diem 28. Maj. An. M DCC IX.

PRÆSIDE
DN. HENR. ERN. KESTNERO,
JC. & P.P.


PRO LICENTIA
SUMMOS IN JURE HONORES, IMMUNITATES, AC
PRIVILEGIA DOCTORALIA
rite capessendi

Publico MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI

Examini submittit,

CAROLUS WILHELMUS Crantz
Feltzberga-Hassus.

RINTHELI,
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr.



Jehovah Juva!

§. I.

Nter illa, qvæ Juris-
prudentiam nostram Roma-
no-Germanicam premunt,
si non opprimunt, haud mi-
nimum locum tenet arbitra-
ria litium hodiernarum in-
doles: Vix enim notabilis,
sed tamen qvodammodo dubius, in forum produ-
cetur casus, ubi non litigaturus aut legem, aut ca-
nonem, aut decisionem, aut praxin, aut rationem
aliquam reperiet, & sic omnia ferme judicia magis
ex judicium arbitrio, qvam ex certa juris dispositione
terminantur, & modò in uno eodemque negotio
nunc pro actore, nunc pro reo, sententia fertur
sine variatione juris & facti, & solum ex eo, qvia
his judicibus placet hæc opinio, aliis displicet, &
contraria directa satisfacit, cum sine certa lege in-

*De Judiciis
communi-
ter hodie
arbitraris.*

A

tot

tot opinionum varietate Republica gubernetur.
 Confirmat hoc ipsum inter alios scitè & eruditè
Hieron. de Cœvallo in tractatu de Comm. Opin. in prefat. num. 109. Cùm judices, inquit, possint, qvæ
 placuerit, eligere opinionem, quid interest argu-
 menta & fundamenta opinionum adducere? & sic
 semper in judicis arbitrio facti qvæstio & resolutio
 dependet. Porro num. 113. seqventia refert verba,
 in tanta varietate & incertitudine absqve jure, &
 absqve ratione vivimus, nihil certum habemus,
 neqve stabile, omnia enim jura sunt arbitraria. Ul-
 terius sub num. 120. rectè subjungit, & sic videte,
 qvanta dubietate judices sint circumducti, & qvam
 utile esset, prædictas opiniones ad Leges Regias
 reducere; Item num. 25. ex qvo notat *Abbas*, qvod
 opinio potest se habere ad verum & ad fallsum; Si
 verò se habet ad utrumlibet, seqvitur, qvod absqve
 lege certa vivatur. Item in *Oratione ad lectorem*, si
 omnes hæ contrariae opiniones ad certam legem
 redigerentur, in arbitrio judicis non esset modo
 hic unam, & illic alteram contrariam opinionem
 seqvi, prout amicitia postulat, cùm fere omnes
 octingentæ qvæstiones, sint qvæstiones pro amico.
 Sic fiunt lites immortales sine spe justitiae conse-
 quendæ ex certa lege, qvia licet habeant commu-
 nem opinionem pro sua causa, tamen judex ar-
 bitratur ad lubitum, qvod malè ferunt Studiosi,
 cùm sic ad nihilum studia sua redigantur, &c.

*Arbitrium
judicis pe-
riculosum est.*

§. II. Verūm hāc sententia nihil perniciosius,
 nihil videtur esse periculosus, periculosa enim
 est

est lex, qvæ judicis arbitrio aliquid relinqit, & è contrario sancta & justa, si nihil ejus arbitrio committat. Ait *Aristoteles politicorum lib. 3. cap. ult.* & rectè quidem ait, illas leges optimè constitutas esse, qvæ in omnibus, qui incidere possunt, casibus sanctæ sunt, qvæque qvam paucissima judicis arbitrio relinqunt, qvoniam qvi legem imperare jubet, is Deum & leges jubet imperare, qvi verò hominem, belluam adjungit, cùm utriusque communis cupiditas & ira, Magistratus optimos alioquin varie pervertat, verba sunt *Menochii in tr. de Arbitr. Jud. quest. lib. prim. proæm. num. 1. 2. 3.* Rectè ait *Arth. Duck in tr. de Authoritate Juri Civilis lib 2. cap. 6. §. 30.* Relinqvere judges suo arbitrio nihil est in justius & perniciosius, ea de causa *Jacobi Menochii librum de Arbitr. Jud. Qvæst.* Quidam damnant, qvod judges sub specie arbitrii affectibus, corruptelis, sordibusqve uti docuerit. Similiter *Petrus de Andlo de Rom. Imp. lib. 2. cap. 16.* sequentem in modum philosophatur, qvid dicam de legum æqvissimarum jurisqve scripti observatione, qvæ ferè nulla est, sed jure incerto vivitur, & in multitudine illiteratâ, qvod unicuique sui arbitrii discretione visum est, id in judiciis vim legum obtinere volunt. Concordat convenientqve cum his *Nathenius de Justitia Vulnerata pag. 643.* in verbis, in tam impunita & libera opinione & interpretatione, qvâ Jurisprudentia ad contemptum redacta est, nostrarpe voluntate excœcamur, vivimus & disputamus, ac si lumen veritatis nobis non afful-

geret, atque ipsa naturæ bona in nobis extincta
forent, sic vanitati veritas, & opinionibus lex ipsa
cedit. *Conf. Burchardus de Hod. Jurisprud. Nævis &
Remed. dīc. p.m. 183.*

*Norma
juris, est
Jus Roma-
num.*

§. III. Equidem norma Jurisprudentiae no-
stræ solet esse receptum Romanorum jus, ad qvod,
silentibus statutis & consuetudinibus localibus,
velut sacram anchoram configimus (hoc autem
jus non aliter Germanos stringere, nisi ejus mani-
festa receptio probetur, fusius afferuit *Dn. Preses
in tract. de Defect. Jur. Comm. in Germania, Probl. 4.
q. 9.*) Verum in plurimis capitibus hoc deficere,
& ingentem decisionum cumulum, qvæ tamen
legibus & definiri & amputari poterant, arbitrio
judicis relinqvere, vel ipse hujus Juris contextus,
vel præsens nostra disputatio plenius docebunt, ne
dicam, qvod Romanorum placita à moribus, genio
& indole Germanorum prorsus aliena, & infinitis
nævis obruta sint, prout hoc alibi plenius demon-
stratum fuit: Accedit defectus prudentia civilis
& legislatoria, sine qvibus frustra qvis solidiores
in Jurisprudentia profectus aut sperare aut impe-
trare poterit.

*De Legibus
Regiis.*

§. IV. Qvòd si paucis saltem, & à primâ sui
origine natales Romanarum legum per indicem
inspiciamus, utrobivis haud leves advertimus næ-
vos. Romulus, primus Romanæ Reipublicæ con-
ditor, paucissimas condidit leges, ob paucitatem
istam valde imperfectas & insufficientes: cumqve
is fraticida, raptor, variisqve sceleribus com-
macu-

maculatus fuerit, vix sapientes à Principe, tantis
vitiis immerso, expectari potuerunt leges. Numa
Pompilius, Romulum secutus, advertens civitatem,
à Romulo ad bellum saltem dispositam paratamque
esse, pacis leges dedit, multosque quidem naves, à
Romulo commissos, correxit, namque præter alia,
ad Religionem spectantia, agros inter inopes divisit,
studium agriculturæ promovit, multitudinem se-
cundum artificia distribuit, calendarium emen-
davit, verum etiam, quod inter maximos naves
reputandum, populum superstitioni assuefecit, qui
naves eo periculosior, quo subtilior fuit, quo de
conf. Plutarchus in Numa. Insufficientiam harum
legum colligere licet ex Tacito lib. 3. Annal. cap. 26.
Conf. Georgius Eberlinus de Orig. Jur. cap. 4.

§. V. Ejectis Regibus, quanta confusio tum
in Jurisprudentia, tum in ipso Statu Romano per
leges XII. Tab., per secutam hinc interpretationem
prudentum & disputationes fori, per legis actiones,
per jus Flavianum, per plebiscita, & dicta Prae-
torum & Aedilium introducta sit, plenius tergit
Illustris Thomasius in tract. de Nevis Jurisprud. Ante-
Justinianæ per integr. lib. I. Ipse deinceps Augu-
stus, & reliqui ejus Successores usque ad Justinia-
num, reducto Statu Monarchico, non quidem leges,
ad introducendam pacem & tranquillitatem pu-
blicam facientes, dare, sed magis artibus pseudo-
politici dominatum suum stabilire quæsiverunt,
nam Juris Consultorum sub Augusto authoritas in
tantum crevit, & semet extendere cœpit, ut non
am-

De Statu
Jurispru-
dentia sub
Republ. &
Imperato-
ribus.

amplius privata, sed ex Principis auctoritate publice responderent, & scripto quidem, non vivâ voce, non tamen licebat id omnibus, sed quibus à Cæsare jus respondendi datum, neque judices à responsis horum Juris Consultorum recedere poterant: verum potestas istiusmodi Juris Consultis data sectas, sectæ incertitudinem juris auxerunt, quales sectæ maximè sub Imperatoribus florere, & incrementa capere cœperunt, atque inde tot navi suborti, & corruptissimus Reipublicæ Romanæ Status deprehensus fuit, nam, quo magis falsum decorum in ea crevit, eo magis quoque omnium vitiorum irritamenta creverunt, nimis luxuria, lascivia, luxus, adulteria, veneficia, falsa varii generis, ac fraudes, prout ante Constantimum Tacitus, Suetonius, & alii Scriptores Historiæ Augustæ, item Poëta Satyrici, Horatius, Juvenalis aliquique passim docent, quas variorum Scriptorum querelas collegit Gothofredus Arnold tum lib. 8. de Moribus primorum Christianorum, tum in historia Ecclesiastica & Hæreticorum sect. 4. & seq.

*De Juris
prudentiæ
Justinianæ
sec.*

§. VI. Tametsi vero Jurisprudentiæ Justinianæ, in formam artis redactæ, magna gloria, magna existat dignitas, quod verum in illis jurium capitibus, quæ cum sana ratione & rationibus Reipublicæ nostræ convenient; Nulla tamen unquam methodus obscurior, & ad emendandam Jurisprudentiam & tranquillitatem externam promovendam ineptior fuit, quam illa Justiniani & Tribonianii, uti plenius hoc ipsum demonstraverunt.

Fran-

*Franciscus Balduinus in Justiniano, & Franciscus
Hottomannus in Anti-Triboniano, conf. Dn. Praes
in tract. de Defect. Jur. Comm. in Probl. 8. §. 5. Qvis
sub Regimine Justiniani Status Publicus, qualesve
in hoc nævi fuerint? Agathias, Procopius, Pro-
copii Anecl. cum not. Nicolai Alemanni docere
possunt.*

§. VII. Mortuo Justiniano, & in Oriente &
in Occidente authoritas Juris Romani valde decre-
vit, siquidem in Oriente nova legislatione græca,
qvæ in Basilicis exhibetur, corporis Justiniane*u-*
sus penitus ferè sublatus fuit, ex qvibus Basilicis
postea inibi jus dictum fuit, Italiam vero aliasque
*Imperii Occidentalis partes Gothi, Vandali, Longo-
bardi, mirè miserèque affligeant; Carolus Ma-*
gnus verò, ejusqve nepos Lotharius, temperamen-
tum in devictis Germaniæ populis adhibitum,
subjugato Regno Italiae & Romano Imperio appli-
cuerunt, nimirum relinqvebant his præfittam Lon-
gobardici & Romani Juris, qvibus hæc tenus uteban-
tur, libertatem, nisi Francorum legibus uti mallen-
Jus Romanum verò, ultra sex ferme secula sepultum,
instituta tempore Lotharii Bononiensi, ubi doce-
batur, Academiâ longè maximos sensit progressus,
& respirare cœpit, cumqve, deficientibus in Ger-
mania Academiis, Germani studio juris operam
navaturi certatim eò contendenter, & in ipsa tan-
dem Germania circa finem decimi qvarti, & initium
decimi qvinti Seculi Academiæ construerentur,
& in iis placita Juris Romani, hæc tenus pro Oraculis
habi-

*De tempo-
ribus post
Justinianū,
& quando
Jus Roma-
num in Ger-
maniam
penetravit.*

habita, docerentur, non potuit non prolixissimus,
& longe maximus Juris Romanus existere.

*Querela de
recepto Ju-
re Romano
in Germa-
nia.*

§. VIII. Qvamvis qvidem viri prudentes,
eruditi, & de salute Republicæ solicii varie varias
obmoverent querelas, qvod introductio Juris Ro-
mani in Galliam & Hungariam longe maxima mul-
tarum calumniarum & multiplicatarum litium
causa fuerit, ipsique Scabinatus & Senatus urbium,
commercialia maritima tractantum, hisce Juris Ro-
mani incrementis strenue resisterent, & non semel
Dd. Juris ex Scabinatu & Senatu removerent, nihil
lominus tamen Jus Romanum sensim sine sensu
emersit, & ingentes ubicunque progressus fecit
qvod autem, (qvamvis tacite ab Imperatoribus in
illis saltē capitibus, ubi recipi potuit, ejusque
receptio probatur, confirmatum sit) qvanta la-
boret miseria, facilē ostendi potest, si legum interpre-
tationem, imperfectionem, confusionem, obfici-
ritatem, multitudinem, contrarietatem, imo ipsam
ipfius Juris Romani compaginem, extot diversi-
simorum, diversas sectas diversas doctrinas soven-
tium, Juris Consultorum principiis confarcinatam
inspicias, ne de subsecuta Glossatorum mi-
seria, de fragili opinione communi, de rebus ju-
dicatis, haud raro sibi repugnantibus, qvicqvam
dicam.

*Scopus ar-
gumenti.*

§. IX. In hoc igitur confusissimo Jurispru-
dentiae Statu, & ubi pauca in ipsis rerum momentis
obvenientia capita plenisime sunt decisa, non
potuit non ingentes nancisci progressus arbitrium
judicis

judicis, qvod tamen restringi, nulla autem ratione extendi debebat; Et eò forte tendit tritum illud, citatum ab Illustri Strykio in *Introd. ad Praxin Forens.* plus valet favor judicis, quam lex in Codice. Cùm verò insignis, ad rem hanc evidentissimè demonstrandam, ex omni jure apparatus afferri, & vel solius Menochii amplissimus de *Qvæst. Jud. Arbitriis tractatus*, jam aliquoties allegatus, luculentissimum assertionis nostræ argumentum sifstere poterat; ne verò acta agere, aut hunc Authorem describere videar, hoc saltem loco pro specimine, inauguralis cuiusdam dissertationis ex *Lauterbachio* (quem instar Compendii Universalis in omnibus ferme Academiis Germaniae tractari videmus) illas quæstiones, quæ à solo judicis arbitrio dependent, pertractabo, arbitraria, prout hæ quæstiones arbitrariæ in suis obvenerunt titulis, methodo usurus, brevitatiqve, cum ingentem alias tractatum circa hanc rem colligere potuerim, operam daturus. Ubi tamen promte fatemur, qvod, cum leges omnes casus, per tot secula obventuros, nec prævidere, nec definire possint, multa ita comparata esse, ut arbitrium Judicis locum adinveniat, qvod tamen, quantum possibile, restringi debebat.

§. X. Qvod consuetudo jus non scriptum sit, per diuturnos mores, accedente tacito summæ potestatis consensu, introductum, non potest non notissimum esse. l. 32. §. 1. ff. de *LL*. §. 9. *Inst. de J. N.* & *Gent.* Ad consuetudinem hanc requiritur (1.) rationabilitas, qvod tamen non soli consuetudini,

B

sed

Pag. 9.
Compendit
Lauterba-
chiani, de
requisitis
consuetudi-
nis.

sed omni legi humanæ commune, nec singulare
 quid est, nam, qvod irrationalib[us] est, nullo temporis
 momento subsistere, & firmitatem aliquam Juris
 capere potest, c. f. X. de Consuet. (2.) Reqviritur
 tacitus summae potestatis consensus, nam, cum con-
 suetudo legem tollit, qvod privati suis actionibus
 efficere nequeunt, tacitus ad minimum illius, qui
 Imperium tenet, consensus erat necessarius, is enim
 legem tollit, qui legem dat, l. 35. ff. de R. I. (3.) Ad
 hanc tum actuum freqventia. l. i. C. qvæ sit long. temp.
Consuetud. nullo scil. contrario actu interrupta. arg.
 cap. fin. X. de Consuetud. l. fin. C. qvæ sit long. *Consuetud.*
 (4.) Tum temporis diuturnitas reqviritur, nimirum
 tot actus, tantumq[ue] temporis intervallum heic
 desideratur, ex qvibus de præsumto summæ pot-
 estatis consensu constet, *Illustris Dn. Stryk. in Usu*
moderno tit. de LL. §. 12. Cum verò nec actuum
 freqventia, nec diuturnitas temporis definita sit in
 Jure, adeoq[ue] arbitrium judicis locum hic invenire
 debebat, atq[ue] hoc est, qvod urget Lauterb. in verbis,
 sub lin. 9. expressis. *DE UTRQ[UE] HORUM CO-*
GNOSCIT JUDEX arg. l. 1. ff. de Jur. Delib. Interim
 plurima, qvæ à Dd. de Consuetudine tractantur,
 ad qvæstiones de lana caprina spectant, cum in po-
 pulari qvidem Statu, ubi Regimen penes populum
 residet, consuetudo introduci potuit, raro vero
 hoc in Monarchico, aliisque Statibus, contingit,
 inde plurima Juris Romani capita, heic obve-
 nientia, nostris Rebuspublicis vix applicari pos-
 sunt, imò nostris consuetudo moribus vel ideo
 ra-

rarissima est, cum Imperantis confirmatio non facile probari queat, sine hac autem cœtera omnia revisita effectu carebunt.

§. XI. Ad cautionem judicio fisti requiritur Author, ut uno, vel pluribus idoneis fidejussoribus, caveatur. l. i. l. 5. §. i. ff. *Qui satis d. cog. l. i. ff. in in jus voc. ut eant.* Neque regulariter pignora sufficient, l. i. *Qui satis d. cog. l. 7. ff. de Præt. Stip. Nov. 53. cap. 2. & 3.* & rectè quidem, quotiescumque enim judicii exponienda cautio, toties requiruntur fidejussores, d. l. 7. de Præt. Stip. Nov. 103. & 112. at si parti privatum praestanda erit cautio, pignora admittuntur, arg. §. 14. *de Obligat. quæ ex delict. l. 15. de R. I. l. 1. §. 9. de Collat.* nisi aliud receptū, aut partis nihil interst, rationem in eo collocant, quod in pignoribus tum onus custodiæ, tum difficilis aestimatio litis, tum operosa pignorum venditio obveniant, quæ omnia in fidejussoribus cessant, cum parata in eos sit judicis executio, ne dicam, quod res pignori alteri possit esse obstricta ex antiquiori hypotheca, & sic judicium elusorium redderetur, sed quæstio hæc semet fistit, *Quinam tandem fidejussores idonei sint judicandi?* respondet Lauterb. in lin. 17. *FIDEJUSSORES IDONEI CENSENTUR ARBITRIO JUDICIS l. 9. Qui satis d. cog. ex facultatib⁹ sc. & convenientiendi facilitate.*

§. XII. In eâdem cautionis materia secundum usum modernum actor de judicio peragendo, & expensis, in casum succumbentiae refundendis, ut & de reconventione, modo adversarius ante litem contestatam hoc petierit, cavere debet, quo de

B 2 vide-

Pag. 39.
De Cautionib⁹.

Pag. 35.
De Cautione ab auctore
praestanda.

videatur *Carpzov. lib. I. Conf. 5. def. 1.* & in *Proc. civ. tit. 9. artic. 5. num. 28.* Immobilium autem possessores plurimis in locis neque carent, neque nude saltem promittunt, *conf. l. 15. pr. junct. §. 7. qui satid. cog.* &, si postea desinunt esse possessores, non tamen denuo carentur. *d. l. 15. S. fin. eod.* necessarium tamen est, ut hoc casu obligent res ipsas. *arg. l. 3. S. fin. l. 4 ff.* ut in possess. legat. Reus autem regulariter non carent, nisi de fuga suspectus sit. Magna tamen circa priorem adductam cautionem ratione quantitatis, cum lis, expensæ, & reconventio incertissimæ sint, suboritur difficultas, respondet *Lauterb.* *QVANTITAS HUJUS CAUTIONIS JUDICIS ARBITRIO RELINQUITUR.* *Carpzov. lib. I. conf. 5. def. 8.*

*Pag. 36.
De Impedimentis
von denen
Ehehafften.*

§. XIII. Qvotiescunque qvis cautionibus, in judicio fistendi causa factis, non obtemperaverit, toties contra reum & fidejussores actio ad exigendam pœnam promissam (qvaæ tamen hodie valde rara est) vel, si hæc non fuerit promissa, ad verum actoris interesse, ex illo tempore, quo fisti debuit reus, æstimandum, datur *l. 2. S. fin. ff. Qui satid. cog. l. 12. §. 1.* Si quis caut. in jud. sif. caus. Utrobius tamen reus, qvando vel santicas causas, vel legitima, impedimenta allegare & probare potest, audiendus, atqve ad hæc impedimenta valetudinem, furem, publicam incarcerationem, mulieris citatæ gravitatem, tempestatem, absentiam Reipublicæ causa, funus domesticum, munus publicum, belli & pestis periculum, santicum conjugis & liberorum morbum, carentiam Advocati & Procuratoris, referunt, imo



imò, qvoniam istiusmodi impedimenta, ob communem fragilitatem aliosqve casus insperatos infinitis modis obvenire, & nulla prudentia humana anteverti aut prævideri poterant, suppeditat Lauterb. regulam in verbis, *QVÆ JUDICIS ARBITRIO RELINQVUNTUR*, Carpzov. in Proc. tit. 8. art. 2. num. 43.

§. XIV. Dilationum materia, qvæ ob perversos litigantium mores & pugnandi pruritum omni modo potius coarctari, qvam ampliari debebat, in jure frequentissima est, nihil autem est aliud dilatio, qvam rei agendæ in aliud tempus rejectio, & sunt adeo dilationes feriæ particulares, & lapsi termini in terminum rejectio, prorogatio autem, magnam cum dilatione affinitatem habens, est termini nondum elapsi in alium productio. Varias dilationum divisiones refert Lauterb. & infiniti alii scriptores. In causis civilibus regulariter una dilatio, in capitalibus autem, excepto adulterio, ne matrimonia diu turbentur, reo tres, actori duæ concedi solent dilationes. *Ufin. ff. de Feris & dilat.* Verum nec illa omnia certam aliquam regulam inducere possunt, cùm secundum Lauterb. *HODIE MATERIA DILATIONUM TOTA DEPENDEAT EX ARBITRIO JUDICIS*, ita tamen, ut plus reo, qvam actori indulgeatur.

§. XV. De variis clausulis, qvæ in libello tum exordio, tum facti narrationi, tum ipsi etiam conclusioni adjici solent, plurimum sunt solliciti Dd., imò integros hac de re tractatus, à nonnullis

Pag. 39.
De Dilati-
onibus.

Pag. 41.
De Clausu-
la salvo
jure ad-
dendi.

con-



conscriptos, deprehendes, disqvirit *Lauterb.* quid illa clausula salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, & mutandi, salvis qvibuscunqve aliis juris beneficiis, operetur §. Respondet cum allegato *Vulteo & Ummio*, qvod hæc clausula sine effectu sit, *POTEST AS ENIM MUTANDI PENDET à LEGIS VEL JUDICIS ARBITRIO*, l.3.C.de Edendo §.34. *Inst. de Act.* Hodie quidem ante litem contestatem mutari potest libellus, judicium enim nondum cœptum est, modò indemnis servetur reus, postea autem hoc non licebit, nisi in accidentibus, non substantialibus contingat, uti, si qui primo equum, postea bovem petit, nam tunc actor, mutatus libellum, ab instantia recedere, ac refusis expensis prioris instantiæ, novum processum impetrare debet, *conf.l.46 ff. de Judic. Carpz. part. I. const. II. def. I. 2. 9. Gail. lib. I. O. 51. num. 9.*

*Pag. 60.
De Salario
Advocato-
rum.*

§. XVI. Magna suboritur difficultas de honorario, aut salario Advocatis præstanto, atque hoc, licet aut incertum sit, v. g. dabo honorarium, aut, si nihil promissum sit, l. I. §. 10. *de Extravord. Congnit. l. 13. §. 9. C. de Judic.* aut, si Advocatus non viscerit, *arg. l. 10. §. 1. de Negot. Gest.* aut, si in casum victoriæ promissum, causa tamen amicabili compositione transacta sit, nihilominus deberi, *l. fin. ff. de Mandat.* asserunt fere omnes. Si promissum sit annum salarium in causam victoriæ vel amicabilis compositionis, tum integrum debetur, licet intra annum Advocatus deceperit, *l. 38. §. 1. ff. Locati.* Qvod de usu quidem verum, de jure autem solutum me-

merito repeti debebat, l. i. §. 13, de Extraord. Cognit.
 Qvod enim pro opera debetur, non nisi præstata
 opera debetur: Neqve etiam in casu promissi salarii
 annui refert, utrum lis finita sit, an verò non requi-
 situs Advocatus parum aut nihil operarum præsti-
 terit, nihil enim hic Advocato, utrobivis parato,
 imputari potest, perinde, qvemadmodum professor,
 propter pestem vel alium morbum non legens, sa-
 lario suo non erat privandus: movetur autem hic
 qvæstio, si indefinitum Advocato salarium annum
 sit promissum, qvid tum juris sit? Respondet
 Lauterb. **QVANTITATEM SALARII, SI JAM**
NON SIT CERTUM EX CONVENTIONE, DETER-
MINAT JUDEX, Ord. Cam. part. I. tit. 46, & 64.
 Gail. lib. I. observ. 44. num. 4.

§. XVII. In actione qvod metus causa, ubi
 aliquis vi metuque compulsus aliqvid gessit, unde
 læsus est, & ubi proinde naturalis agendi libertas
 nobis prorsus ademta erat, ex parte agentis vis in-
 justa, factoqve atrox l. 3. §. 1. l. 21. pr. ff. l. 9. C. quod met.
 causa. ex parte patientis metus præfens, justus,
 qualis est metus mortis, etiam civilis, stupri, amis-
 sionis omnium vel plurium bonorum reqviritur
 per textus à Lauterb. allegatos, non autem sufficit
 timor vel vexationis vel infamiae, hanc enim pri-
 vatus non infert, l. 7. pr. Eod. neqve metus potentiae
 vel reverentiae l. 6. C. Eod. nondum enim hic peri-
 culum aliqvod versatur, adeò, ut propter hunc me-
 tum gesta nec officio judicis rescindantur, nisi me-
 tum inferens terminos reverentiae, sibi alias debitæ,

Pag. 77.
 De Mein
 illato.

ex-

excedat, minæque concurrant, aut magna sublit
læsio, tum enim & in hoc & in cœteris casibus ne-
cessum est, ut *ARBITRIUM JUDICIS* hic ob-
servetur. *conf. Gail. l.2, obs. 93.*

*Pag. 78.
De Actione
quod metus
causa.*

§. XVIII. Actio quod metus causa, qvæ ex de-
lieto, scil. ex vi compulsiva oritur, contra metum
inferentes, & quidem contra singulos in solidum da-
tur, unius tamen præstatione cœteros liberante, *l.14.*
S. fin. & seq. ff. quod met. caus. ita, ut adversus ter-
tium etiam rem possidentem, detur, *l.14. §. 5. Ead.*
Repetitur autem res cum fructibus, à delinquentे &
m. f. possessore etiam percipiendis, *l.12. l.14. §. 7.*
quod met. caus. *QVÆ SI AD ARBITRIUM JU-*
DICIS NON RESTITUANTUR intra annum
utilem reus, etiam b. f. possessor, in quadruplum,
cui res ineſt, condemnatur, post annum vero,
causa cognita, actio datur in simplum, qvæ est per-
petua, *l.14. §. 1. & 3. quod met. caus.* Dubito autem
valde, an hæc quadrupla pœna in Germania teneat?
cum istiusmodi privatorum pœnæ nunquam sint
receptæ, prout solide dixit & deduxit. *Dn. Thomasius*
in diff. de Usu Pœnal. act. infor. Germ.

*Pag. 81.
De Restitu-
tione mino-
rum lesio-
rum.*

§. XIX. Quod minores ob lubricum ætatis
lapsum, & si vel ætatis facilitate, vel adversarii ma-
litia lædantur merito restituantur, id, ut quidem
natura non determinavit, per leges tamen positivas
optimè introductum, atque talis facilis tam diu
præsumitur, qvam diu non apparet dolus minoris,
l.23. pr. ff. de Minor. excipiunt, si minor ex mero casu
fuerit læsus, qvando v. g. emit ædificium, quod vel
incen-

incendio, vel fulmine, vel inundatione perit, *per l. ii. §. 4. de Minor.* Aut, si ex sententia judicis, quæ in rem judicatam transiit, læsus fuit, tunc enim ex lubrico ætatis, quorū leges respiciunt, non læditur. Læsio autem hæc ita debebat esse comparata, ut inde minoris conditio deterior facta fuerit, v.g. si res amissa fuerit, neque præcisè enormis, sed qualiscunq; desideratur læsio, *arg. l.i. ff. de Minor.* Verum quando demum dicetur minor læsus? Respondet Lauterb. **QVANTITATEM JUDEX COGNOSCIT, *arg. l.i. §. 1. de Jur. Delib.***

§. XX. Varia sunt, quæ judicem solent redere suspectum, suspectus est, qui non est mediocriter utramque partem, sed studio magis in hanc, quam in aliam partem inclinat, id quod ex infinitis passim passionibus, quibus judices irritari solent, constat. Cum autem gravissimum sit incommode suspectum habere judicem, qui, neglecto juris & æqui æquilibrio, haud obscurè alteri gratificatur parti, ob sanctam justitiae administrationem partibus utique integrum licitumque esse debebat, quanto talem judicem recusaturæ sunt, *l. 16. C. de Judic. Causæ autem, suspectum judicem reddentes, sunt, si vel commodum vel incommode sentiat, l. 17. de Judic.* In propria causa cœcutimus, &c, si non palam, tamen clam propriam utilitatem quærimus, referunt huc, uti dictum, sialteri litigantium ejusque causæ faveat, si inimicus sit, si ejusdem causæ Advocatus, Procurator, aut testis fuerit, interest enim, ne male vel causam perorasse, vel testimonium

C

non

Pag. 100.
De Suspecto
Judice.

non ritè deposuisse videatur, porro spectat huc, si ad unius ex litigatoribus domum divertit, si vel ipse ad aures litigantis insusurrat, vel sibi insusurari patitur, si ante plenam causæ cognitionem de ejus bonitate & statu vel confidenter nimis & præsumtuosè, vel nimis abjectè & depresso verba facit: cum autem tales causæ recusationis infinitæ ferè sint, inde subjungit *Lauterb.* in verbis, RE-LIQVÆ CAUSÆ CERTA REGULA DEFINIRI NON POSSUNT, SED JUDICI RELINQUEN-DÆ SUNT.

Pag. 101.
De Foro
domiciliis
voluntario.

§. XXI. In materia de foro competente, imprimis qvoad forum domicilii, non leves sæpe subnasci solent qvæstiones: qvoad voluntarium do-micilium, necessario oppositum, dicunt Dd., qvod hoc ex libera voluntate eo ipso constitutuar, dum qvo in loco habitat, & animum ibidem consistendi, si nihil avocaverit, expreße declarat, qvod ipsum etiam duobus in locis constitui potest, & tum actor, ubi reum convenire velit, habet electionem; ne-qve obstat, qvod per rerum naturam duobus in locis non possimus habitare, nam, qvi Lipsiæ habitat, non potest dici Francofurti habitare, respondeo, ad habitationem propriè factum personæ non re-qviritur, sed per alias etiam personas inhabitare, & negotia qvaliacunqve tractare possumus, cum autem hoc non tantummodò expreße, verum etiam tacitè ex facto & circumstantiis, ex qvibus nihil aliud colligi potest, qvam voluntas electi domicilii, constituatur, ita hoc potissimum contingit, si quis Jus

Jus Civitatis, ubi habitat, vel impetraverit, vel potiores res illuc detulerit, vel plenariam rerum suarum administrationem inibi instituerit, quoniam nemo regulariter tales actus suscipere censetur, nisi perpetuum quasi in tali loco commorandi animum teneat, & quamvis quidem novum domicilium, ubi cunque lubet, dummodo non prohibeat, constitui possit, in dubio tamen, uti Lauterb. vult, revertendi animus presumitur, vid. Gail. l.2. observ. 35. num. 7. Ubi subiungit Lauterb. JUDEX TAMEN DE HOC COGNOSCIT. Verius autem est, quod domicilium non presumatur alibi constitutum, at, si id constet, tum prius domicilium sublatum censetur, arg. l. 27. §. 2. ad Municip. difficile enim est in duobus locis domicilium habere, neque pluralitas domiciliorum, sed id, quod facilius, presumitur.

§. XXII. Singulare aliquod & maximè privilegium forum tenent nonnullæ personæ, quod nimimum, præteritis inferioribus instantiis, reum statim ad Consistorium Principis evocare, & inibi convenire possint, contingit hoc, si actores sint pupilli, viduae, diuturno morbo defatigati, vel si miles personæ, fortuna miserabiles l. un. C. quando Imper. int. Pup. Quod in exteris quoque Regnis & apud inferiores Status, non vero in Camera observari, tradunt allegati Carpzov. Gail. & Grænw. Quid Cameram ratio in eo consistit, quoniam Imperatores per Capitulationes se obstringunt, quod nolint causas ab inferioribus judiciis avocare: illud autem nihil referre videbatur, sive pupilli

C 2 tuto-

Pag. 104.
De Foro
privilegia-
to à parte
actoris.

tutores habeant, sive non, & prædictæ personæ pauperes sint an divites, nam miseria earum in orbitate consistit, qvin & privilegio hoc cœci, surdi, muti, leprosi, furiosi gaudent, subjungit Lauterb.
QVOD ISTIUSMODI PERSONARUM CONDITIO JUDICIS ARBITRIO RELINQVENDA SIT. Interim tamen, virgines & meretrices, quatales, tali privilegio non gaudebunt.

*Pag. 146.
De Dejectis
vel effusis.*

§. XXIII. Actio de dejectis vel effusis personalis est, & competit adversus inhabitatores ædium, ex qvibus aliquid vel dejectum vel effusum est eum in locum, qvo vulgo iter fit, ad damnum, per hoc datum, vindicandum, nascitur ex qvafsi delicto,
 §. 1. *Inst. de Oblig.* qvæ qvas. ex delict. Imputatur enim patrifamilias, qvòd pessimam, aut ad minimum talēm hominum turbam, qvæ aliis facile noce-re potest, reperit: ideò autem inhabitans teneba-tur, qvoniam, pluribus inhabitantibus, prætereun-tes scire non possunt, à qvo hoc factum perpetratum fuerit, inde, omnibus hoc negantibus, lœsi & elu-derentur, & delictum hoc impune foret, si tamen qvis solus habuerit coenaculum, ex qvo dejectio vel effusio facta sit, is solus tenebitur: Qvod repa rationem damni, distinguunt inter rem aestimabi-lem & inæstimabilem, si damnum datum in re æstima-bili datur in duplum, *l.i.pr.* & *§.4. de his qui effud.* Qvod hodie non tenet, cum simplex damni repa ratio cum omni causa sufficiat, sin verò in re aliquā inæstimabili, veluti in membris aut corpore nostro damnum fuerit datum, subjungit Lauterb. **DATUR IN**

IN ID, QVOD JUDICI ÆQVUM VIDETUR,
ÆSTIMATIS OPERIS ET IMPENSIS, l.i. pr. l.5.
§. 5. ff. de his qvi effud. liber enim homo, uti passim lo-
qvuntur, non est in commercio.

§. XXIV. Actio finium regundorum est,
qvâ propter terminorum confusione agitur inter
illos, qvi confines habent agros, ad illorum fines
discernendos, & declarandos, nec non ad præsta-
tionem ejus, qvod eo nomine interest. Duo igitur
hic concurrunt, tum Obligatio ex jure in re, ubi
ipsa res vindicatur, tum obligatio ex jure ad rem,
ubi fructus interea à possessore percepti petuntur,
qvatenuis igitur hæc actio est realis, ex dominio
l.4. pr. l.8. pr. l.12. ff. fin. regund. Qvatenuis vero
est personalis, non ex qvâsi contractu, uti Lauterb.
vult, qvin potius vel ex delicto vero, vel ex qvâsi
delicto nascitur, illicitum enim est, etiam per igno-
rantiam terminos confundere, cùm horum qvili-
ber metam nosse debebat, qvod etiam vel inde liquet,
qvoniam in §. 3. & 4. 1. de Obligat. qvâ ex qvâsi Con-
tract. Non refertur inter illas species, qvâ ex qvâsi
contractu oriuntur, Conf. §. penult. Inst. de Offic.
Judic. & §. 28. Inst. de Act. Debent autem litigantes,
& de confinio certantes probare non dominium,
seu jus in re, si illud possideant, sed fines, qvos affe-
runt, nimirum per instrumenta, testes, lapides (vul-
go Grätz, Steine) arbores (vulgo Leg-Bäume)
subjungit Lauterb. JUDEX HIC PER AGRIMEN-
SOREM, PARTIBUS PRÆSENTIBUS VEL CON-
TUMACITER ABSENTIBUS, DE TERMINIS
CO-

Pag. 149.
De Confi-
nio.

Pag. 151.
De Immo-
dica laesione
in judicio
familiae
herciscun-
da facta.

COGNOSCIT, l. 8. §. 1. ff fin. regund. Interdum etiam per adjudicationem novos constituit, qva adjudicatione statim dominium transfertur.

§. XXV. Ardua est in materia de familia herciscunda qvæstio, an, si divisio hereditatis per sententiam judicis, in rem judicatam delapsam, facta fuerit, firma sit, licet falso coheredi adjudicatum, & immodicè quis læsus fuerit, utrumqve affirmat Lauterb. per textus inibi allegatos, prius quidem facile concesserim, cùm res judicata pro rei veritate habeatur, nec amplius an verum qvid, sed an ita judicatum fuerit, inquiratur, posterius autem falsum esse putem, qvoniam remedium l. 2. C. si advers. Sentent. & l. un. C. de in integr. restit. Ubi contra rem ipsam judicatam restitutio datur, in omnibus, ubi læsio aliquia obvenit, causis, meritò locum habet, imò ipsi maiores ex clausula generali, si qva mihi justa causa ex l. 26. ff. ex qvib. caus. maj. restituuntur, igitur tale qvid & in hoc judicio obvenire debebat, nam ubi justa causa adeat, ibi restitutio fieri debet, at verò in enormi læsione est justa causa. E. Quid in judicium familiæ herciscundæ instar emtionis est, l. 1. C. Comm. utriusque Judic. E. non minus, sed magis potius hic restitutio tenere debebat. Qvod si vero privato heredum arbitrio divisio facta fuerit, potest revocari id, qvod falso coheredi datum per conditionem indebiti, imò resarciri debet etiam modica inæqualitas per famosam l. 3. C. Comm. utriusque Jud. Verum hic qvæstio suboritur de quanto, in quo quis læsum se esse profitetur, respondet, Law.



Lauterb. QUANTITATEM LÆSIONIS JUDEX
ÆSTIMAT, Myns. Cent. 8. observ. 61.

§. XXVI. Positionum usus in Camera, aliis-
que judiciis, frequentissimus est, sunt positiones di-
stincta capita intentionis litigantium, eum in finem
exhibita, ut adversarius ad ea respondeat, & sic
veritas tanto propius citiusque elicatur. Fine,
autem differunt ab articulis, qui exhibentur, ut per
testes & instrumenta probentur, haec tamen diffe-
rentia in Recessu Imper. de anno 1654. & in ipsa Ca-
mera Imperiali non attenditur, formantur ab auctore
positiones in specie, à reo defensionales & illorum
Procuratoribus de probandis in judicio. Actor,
qværit de facto, quod continetur in libello, item de
Jure Statutario & consuetudine, non vero de Jure
Communi scripto, qvatenus receptum intelligitur,
neque de facto alieno, neque de proprio, responden-
tis exultimationem lœdente, nisi cardo negotii in
eiusmodi positione veretur. Debent autem haec
positiones pertinentes & claræ esse; Qvæ positio
partim vera, partim falsa est, illa in totum negari
potest, omnes in Camera positiones admittuntur,
modo non sint Juris Communis recepti, subjungit
Lauterb. ITA TAMEN, UT JUDICIS ARBITRI-
UM NON EXCLUDATUR, vid. Gail. l. 3. observ.
82. num. 10.

Pag. 155.
De Positio-
nibus.

§. XXVII. Sponfiones, qvæ nihil aliud sunt,
quam conventiones, qvibus de veritate vel eventu
alicujus rei contendentes aliquid ealege, ut victori
cedar, ponunt vel promittunt, de omni jure licitas
esse,

Pag. 161.
De Sponfio-
nibus.

esse, cùm liberrimum de re nostra disponendi arbitrium involvant, vix dubium est, neqve vel æquitatem vel remedium *I.2. C. de Rescind. Vendit.* hic attendi, extra omne dubium est, dolus tamen & captiositas est. v.g. Dass der Stadt-Schreiber zu N. weder lesen/noch schreiben kan / cùm vocabulum weder necessariò legere, & vocabulum noch utique scribere possit. Rectè tamen pro coercenda hominum avaritia *in Reform. Francofurt. tit. von Wetten/* disponitur, qvod istiusmodi sponsio non debeat esse prorsus immodica, interest enim Reipubl, ne homines re sua abutantur. QVÆ AUTEM TALIS SIT, JUDEX ÆSTIMAT SECUNDUM LAUTERB. NOSTRUM.

Pag. 165.
De Sumt.
fun.

§. XXVIII. Actio funeraria, qvæ speciem aliquam actionis negotiorum gestorum involvit, sed tamen qvodammodo laxior est, illi consulti, qui expensas funeris causa fecit, ita, ut illas ab illo, qui hoc munus subire, & impensas ferre debebat, repetere possit, *I.12. §.2. I.14. §.13. ff. de Religioſ. & ſumt. fun.* Actio hæc tum perpetua, tum subſidiaria, tum privilegiaria est, reqvirebat enim publica utilitas, ne cadavera diu remaneant inſepulta, objectum hujus actionis conſtituant ſumtus, fine qvibus funus honestè duci non potest, *I.14. §.3. & 4. Eod.* Eòqve ſpectant vefte lugubres, fasciæ, pepla, qvæ Cognati dari ſolent, convivia, commendationes, ita tamen, ut utrobivis dignitas, conditio & ſtatus defuncti impficiantur; Nam tum in excessu, si qvis vilioris, tum in defectu, si qvis illuftrioris conditio-

nis fuerit, hic utique peccari potuit, quare subjungit
Lauterb. MODUS AESTIMATUR A JUDICE,
l. 12. §. 5. Eod.

§. XXIX. Juramentum purgatorium est, qvo, jubente judice, suspicionibus gravatus illud, qvod sibi objicitur, falsum esse asseverat, atque sic innocentiam suam ostendit, ortum ex Jure Civili, auctum ex Jure Canonico, approbatū Jure Novissimo in Recessu Imp. de qn. 1548. tit. Wie gegen denen/ §. I. Defertur autem à judice ex officio ob defectum aliarum probationum, cum enim hic modus probandi saltem extraordinarius sit, in concursu aliarum probationum merito cessare debebat, debent autem hic subesse suspicione, graviter juraturum prementes, quæ neque torturæ, neque juramento suppletorio locum faciunt, subjungit *Lauterb.* QVÆ AUTEM TALES SINT SUSPICIONES, JUDEX COGNOSCIT.

Pag. 179.
*De Jura-
 mento pur-
 gatorio.*

§. XXX. Juramentum litis decisorum, à judice delatum, dicitur necessarium, qvod judex alii cui ob imperfectam suæ intentionis probationem confirmandam & supplendam defert, unde etiam suppletorium audit. Per hoc juramentum non transactum, uti in judiciali juramento, qvod à parte parti in judicio, judice comprobante, directo litis decidenda causa defertur, per l. 12. pr. §. I. de Reb. Cred. sed probatum videtur. Nam non defertur hoc juramentum ex consensu partium, sed consensu judicis, si aliquid probatum fuit, hoc autem juramentum judex ex officio deferre debet ob inopiam semipræ probationis tantum, v.g. si quis unum testem-

Pag. 185.
 & 186.
*De Jura-
 mento litis
 decisoriis*

D

ex-

exceptione majorem habuerit, ita tamen, ut, hoc omisso, ab illius sententia appellari possit, immo hoc **PRÆVIA COGNITIONE** post causæ conclusionem, & in ipsâ definitivâ deferri potest, judici enim nuncquam concluditur.

*Pag. 220.
De Tempore
commodato ad
jeclio.*

§. XXXI. Commodatum esse contractum realem, quo certus & gratuitus rei usus eâ lege conceditur, ut, eo finito, res in specie restituatur § 2. *Infl. gvib. mod. re contrah. Obligat. l. 2. pr. dreb. Cred.* vel tyronibus notum est, reqviritur autem, ut res sit usus gratia tradita l. 1. §. 4. ff. *de Oblig.* & *Act.* usus autem hic certus esse debet, certus est ratione temporis vel expresse, quo finito, res est restituenda, licet casus usum impediverit, ususqve modo & tempore fuerit circumscriptus v.g. quando eqvum vel ad iter, vel ad nuptias commodaverit. Tempus autem illud adjicitur etiam tacite ex ipsa rei natura, *Lugo de Just.* & *Jure disp.* c. 2. sect. 2. & 9. Addit *Leut.* *terb. PRO JUDICIS ARBITRIO*, nam qui mihi ad iter Cassellanum eqvum commodato dat, is per tot dies eqvum commodasse censetur, quo commode & locū hunc attingere, & eqvus etiam reverti possit.

*Pag. 268.
De Cessante
Sc. Vell. ob
premium
acceptum.*

§. XXXII. Scum Vellej. maxima laborare iniquitate, & plenissimam defraudandi occasionem feminis, pro aliis intercedentibus, suppeditare, ne que fragilitatem sexus hanc fraudem excusare, nam ita fœminæ nec donare, nec dominia transferre, nec testamenta condere possent, jam dudum à multis Jctis demonstratum fuit. Tantum abest, ut sexus fœmineus fragilior sit, ut fœminæ ad acqvirendum cou-

conservandumque patrimonium magis circum-spectae & intentae, quam ipsi masculi, deprehendantur, interim tamen multifariæ sunt causæ & exceptiones, ab ipso authore allegatae, quæ hoc beneficium cessare faciunt, ad duas priores refert authorum mulieris, beneficia enim delinquentibus non dulantur. l. 37. ff. de Minorib. & (2.) si pretium intercessionis acceperit. l. 23. pr. & §. 1. C. ad Sct. Vellej. Nam uti pessima avaritia coercenda, ita avaræ mulieri non succurrendum est, quæstio autem est, de quanto pretii? Respondet Lauterb. **DE CUFJUS QUANTITATE JUDEX AESTIMAT.**

§. XXXIII. Cum officium nemini debeat esse damnosum, adeoque mandatarius, qui mandatum seu negotium aliquod gerendum suscipit, merito indemnis servari debebat, eoque nomine ipsi, ejusque heredibus per contrariam mandati actionem adversus mandantem, ad indemnitatem ratione mandati consequendam consultetur; Qvare sumtus b. f. factos l. 12. §. 9. **Mandati**, etiamsi mandans minus impendiisset l. 27. §. 4. **Eod.** aut mandatarius negotium finire non potuerit. l. 56. §. fin. **Eod.** aut, si sine culpa negotium contrarium forte exitum fuerit expertū, optimo jure repetit l. 10. §. 9. **Eod.** In mandato enim damnum, ex ipso negotio mandato acceptum, restituitur l. 61. §. 5. ff. de Furt. Illud autem, quod ex casu fortuito subnascitur damnum, si v. g. mandatarius in latrones inciderit, & sic notabilem substantiæ suæ portionem amiserit, non restituitur l. 26. §. 5. **Mandati**, l. 23. ff. R. I. Nemo enim casum, qui à nostro

Pag. 289.
De Actione
Mandati
contraria.

nostro non dependet, arbitrio præstat; Imò, si quid de suo impenderit mandatarius, mandans, in mora constitutus, usuras eo nomine exsolvere debet l. 2.
 §. 2. ff. de Uſur: Subjungit Lauterb. ET QVANDO-
 CUNQUE JUDICI FUERIT ÆQVM VISUM.
 Qvotiescunque enim ex mandato mandatario ali-
 quid abeft, toties hoc c mne ipfi restituendum venit.

Pag. 305.
 De Pretio
 in arbitri-
 um tertii
 collato,

Epilogus.

§. XXXIV. An pretii determinatio in arbitriū tertii conferri possit? disqviritur, distingui hīc solet, an ille tertius incertus aut certus sit, priori casu emtionem nullam, l. fin. C. de Contrab. emt. l. 25. ff. locati, nec ad boni viri arbitrium recurrentum esse, autumant, si verò ille tertius fuerit certus, tum emtio sub conditione videtur contracta, &, si arbitrator, ita electus, pretium definire vel non possit, vel etiam nolit, venditio deficit; Si verò definiat, ejus arbitrio standum est, §. 1. Inst. de Emt. l. fin. C. de Contrab. Emt. Nisi nimis magno vel parvo pretio rem æstimaverit, TUNC ENIM ARBITRATUR JUDEX, qvod autem Lauterb. putet, læsionem, dimidium non excedentem, hīc à judice advertendam esse, id rationi juris non videtur congruum, nam, qvando tertius electus æstimat, perinde est, ac si partes ipsæ æstimassent; Sin autem hoc factum, nulla, nisi qvæ dimidium excedit, læsio attenditur.

§. XXXV. Sed qvam plurimi adhuc super-
 sunt cas⁹, à Lauterbachio notati, & soli judicis arbitrio
 relicti, qvos, cum præsentis dissertationis noſtræ
 angustia, neve illa ex crescatur, non admittat, paucis,
 & solo ſaltem numero notare voluimus, atqve
 tales

tales reperiuntur, pag. 189. p. 190. p. 191. p. 193. p. 213.
 pag. 214. p. 215. p. 236. p. 257. p. 334. p. 350. p. 378. p. 385.
 pag. 388. p. 396. p. 413. p. 431. p. 432. p. 433. p. 438. p. 445.
 pag. 453. p. 455. p. 461. p. 466. p. 472. p. 476. p. 509. p. 511.
 pag. 541. p. 549. p. 550. p. 552. p. 592. p. 605. p. 610. p. 613.
 pag. 625. p. 626. p. 634. p. 650. p. 657. p. 667. p. 668. p. 677.
 pag. 679. p. 681. p. 685. p. 691. p. 695. p. 696. p. 706. p. 712.
 pag. 714. p. 725. p. 744. p. 745. sed tantum
 hac vice.

Corollaria.

I.

I Christiani Christianum amorem exercent, & communia saltem humanitatis officia sibi invicem exhibent, plurimæ in causa Religionis dissensiones, ut plurimum intellectum, raro voluntatem, affidentes, sponte cessarent.

II. Qui regimen Ecclesiæ, à summa potestate contradistinctum, statuunt, illi statum in statu formant, & Rempublicam graviter perturbant. Jam dum invictis evictum est argumentis, Ecclesiam esse in Republicâ, non Rempublicam in Ecclesia, multo minus Rempublicam unam posse esse bicorporam, Ecclesiasticam & Politicam.

III. Ad pacem in Republicâ conservandam non opus est, ut subditi unius ejusdemque sint religionis.

IV. In causis controversiisque Ecclesiasticis optimum tolerantia dissentientium suppeditat remedium.

V. Qvod

- V. Qvod in A.B. cap. i. de salvo conductu, Electoribus praestando, sub pena perjurii & amisionis voti disponitur, plane non est in usu, cum enim tempore A.B. nondum pax publica fuit stabilita, salvo conductu opus erat, qui, introductâ hâc pace, auctâque Electorum potentia, sponte cessat.
- VI. Desponsati, cum gratia à sponsalibus recedere voluntates, ad matrimonium ineundum inviti cognequeunt.
- VII. Et procreatio sibolis, & mutuum adjutorium finem æque principalem matrimonii constituunt.
- VIII. Benedictio sacerdotalis non est de essentia matrimonii.
- IX. Pænitentia Ecclesiastica est pena merè civilis.
- X. Deredendis rationibus in loco domicilii convenitus, incompetentiā fortē non recte obvertit, dissentit Escobarius.
- XI. Infamis juramentum adversario deferre nequit.
- XII. Creditore posset tutorem esse, frustra dubitatur.
- XIII. Donationem simplicem, a patre factam, filius conferre non tenetur.
- XIV. Matri, quæ per substitutionem pairis, filio impuberis factam, exclusa est, querela inofficiose testamenti de jure non competit. Qvod & absurdum, & iniquum reputamus.
- XV. In dolosum emptorem, qui tempore venditionis non erat solvendo, & jam antea fugam neqviter pre cogitaverat, etiam si fides de pretio sit habita, dominium rerum venditarum non transfertur.

S. D. G.

94 A 7365

VD 18


ULB Halle
002 185 687

3



5b,

VD 17



Disputatio Inauguralis
 DE
ARBITRIO
JUDICIS,

QVAM,

Annente Summo Numine,
 X AUTORITATE ET DECRETO AMPLISSIMI
 JCTORUM ORDINIS,
 IN ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
 Ad diem 28. Maj. An. M DCC IX.

PRÆSIDE
 DON. HENR. ERN. KESTNERO,
 JC. & P. P.

PRO LICENTIA
 SUMMOS IN JURE HONORES, IMMUNITATES, AC
 PRIVILEGIA DOCTORALIA

rite capeſſendi
Publico MAGNIFICI SENATUS ACADEMICI
Examini ſubmittit,

CAROLUS WILHELMUS Crantz/
 Feltzberga-Haffus.

RINTHELI,
 Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Univ. Typogr.

Farbkarte #13

B.I.G.

